



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 58. An sit obligatio corripiendi eum, qui ex ignorantia peccat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

*Q. 56. Si verba non juvent, an debeat vel possit* 212  
*proximus aliter corrigi. R.* Si sit subditus, potest & debet à Superiore corrigi, etiam pœnis aliisque modis coactivis: si autem non sit subditus, etiam licitum erit ipsi aliquam vim amicam adhibere, v. g. occultare gladium, subducere pecuniam aliaque peccandi instrumenta, uti docent *S. Antoninus, Nav. Mol. Lug. de Just. d. 2. n. 33.* non videtur tamen licitum absolutam vim inferre, v. g. ligare vel includere, quia hæc est excessiva usurpationis jurisdictionis: Excipe, nisi adesset causa proportionata, uti si cogitaret inferre grave malum Reipublicæ, Superioribus vel familiæ, tum enim liceret, & quandoque, sed rarò, esset obligatio sic impediendi, ita *Lug. n. 34.*

*Q. 57. An aliquando sit etiam gravis obligatio* 213  
*corripiendi solos defectus Subditorum. R.* De hoc videri potest *Lug. de Just. d. 9. à n. 21.*, hoc enim concernit plerumque solos Superiores Religiosos.

*Q. 58. An sit obligatio corripiendi eum, qui ex* 214  
*ignorantia peccat. R.* Si ignorantia sit vincibilis, utique est obligatio, nam ignorantia illa non excusat à peccato: si autem ignorantia sit invincibilis, *Bonac. in Dec. d. 3. q. 4. p. 7. n. 11.* absolute docet non esse obligationem, siue sit ignorantia juris siue facti, quia tantum tenemur corrigere peccatum proximi, proximus autem tum non peccat: Excipit tamen ipse cum aliis omnibus, nisi ex officio alicui incumbat monere & instruere, v. g. quia est Pastor, Confessarius: Item, nisi inde oriretur damnum tertii, vel ignorantis ipsius, aut scandalum, aut irreverentia in Deum vel Religionem. Alii Authores distinguunt, si

M

enim



enim quis peccet ex ignorantia juris naturalis, omnes communiter docent te teneri corripere, quia licet proximus non peccet, actio tamen ejus est in se mala & indecens ac displicens Deo, ita *Ovi: 1. 2. t. 5. cont. 2. n. 30.*, qui ait idem communiter doceri etiam, quando quis peccaret ex ignorantia juris divini: E contra, si peccet ex ignorantia juris humani, docet *Op: cum Bann. Nav. Val. & aliis non esse obligationem corripendi*, tum quia proximus non est in gravi miseria, tum quia nihil facit intrinsecè malum, consequenter secundùm hos Auctores non teneberis admone- re eum, qui ignorans die Veneris comedit carnes, aut Vesperis it cubitum oblitus orare horas; sed his omnibus probabilius contradicunt *Con: Sanch. Castrop. & alii cum Burg. cent. 3. cas. 69.* dicentes esse obligationem corripendi peccan- tem ex quacunque ignorantia, tum quia sic exi- git reverentia legis, contra quam est illa actio vel omissio, tum etiam quia materialis transgressio legis, si non corrigatur, facilè fit formalis, aut habitum pravum inducit: discretionem tamen u- tendum est, nam imprudenter agit, qui inculpa- biliter errantem in re nulli prorsus noxia corri- git cum non levi ejus rubore vel aliorum incom- modo, & ita, inquit *Gob. in Exp. t. 3. n. 343.* male fecit ille, qui sacerdotem oblitum stolæ, de hoc defectu eum in Sacrificio ad aram monuit.

215 *Q. 59. An & quando sit obligatio denuntiandi vel deferendi aliquem. R. §. 1.* Est obligatio gravis sub pœna excommunicationis hæreticos denuntian- di apud Inquisitores Fidei, uti constat ex variis Bullis Pontificum & decretis Juris canonici apud *Castrop. t. 4. d. 3. p. 4. n. 21.*, quam obligationem

&